39.

13

Σ. Θ!

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

De

CASU, IN QUO MENSES P.N. EMANENTES per Menagoga ciendi non ſunt.

QUAM,

FAVENTE SUMMO ARCHIATRO,

Auctoritate, Juſſu atq; Decreto,

TER-INCLYTI MEDICORUM ORDINIS, IN

Antiquiſſimâ EBERHARDINA,

PRÆSIDE,

DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO, Philoſ. & Med. Doct. Prax. Prof. Publ. Conſiliar. & Archiatr. Würtemberg. Dn. Patrono & Præceptore ſuo æviternum devenerando,

PRO LICENTIA,

Summos in Facultate Medicâ Honores, Inſignia ac Privilegia DOCTORALIA more majorum legitimè conſequendi.

Placido & Solenni Eruditorum Examini ſiſtit

SALOMON BRAUN, NEROLINGA-RHÆTUS.

IN AULA NOVA,


Ad diem April.

TUBINGÆ, Typis MARTINI ROMMEII. 1690.



Σ. Θ.

HISTORIA.



Ccedebat Medicum *Fœmina* 28. annorum macilenta, pallida, lassa, petens Consilium pro *pellendo menstruo fluxu deficiente*, hoc enim promoto se recuperationem sanitatis certò sperare, cùm morbus hic primam originem ab emansione dicti fluxus uxerit: Urgebat autem, ut medicamentum menses promovens non è levioribus esset, cùm jam successivè ex duoum Medicorum consilio medicamenta, quorum descriptinem in schedis exhibebat, non solùm sine effectu desideato, sed & symptomatum nunc potissimùm molestorum ugmento subsequente assumpserit. Medicamentorum ndigitatorum in schedulis monstratis *formulæ* fuerant sqq. ℞. *Vin. Emet.* ℥vj. D. S. Erbrechwein auf einmahl. ℞. *Limat. Chalyb. bacc. juniper.* ãã. ℥ß. *garyophyllor. arom.* ʒij. *macis, cinanom.* ã. ʒj. *croc. or.* ʒß. *rad. levistic.* ℥j. *fol. matricar. sabin.* ã. mj. ncis: & contus. d. ad Nodul. S. Pentelin darüber ein Maaß Wein zu giessen/ wovon Morgens nüchtern/ und Abends 2. Stund vor der Mahlzeit ein Trunck zu thun. ℞. *Essent. splen. ovis. Castor. Elix. Vterin. Croll.* ã. ʒj. m. D. S. Essentz/ davon desmal mit dem Kräuterwein 11. Tropffen zu nehmen.

Ab altero Medico præscripta fuerant seqq. ℞. *Arcan. duplicat. Mynf.* ʒß. *Croci* ♂*t. aperitiv.* ℈ij. *Sal. Tart.* ℈ß. M. f.

 pulv.

pulv. divid. in 2. part. æq. D. ad 2. dist. chart. S. Digestiv
Pulver auf 2. mal. ℞. *Mass. Pil. fœtid.* ʒj. *Gummi ammonia*
in acet. squill. solut. ℈j. *Extr. troch. alhand.* gr. iij. C.s.q. *ol. de*
succin. F. pilul. D. S. Purgier-Pilulen. ℞. *Sal. Volat. Succi*
C. C. ā. ʒß. *Castor.* ʒj *Troch. de Myrrh.* ʒij. M. f. pulv. D. ℞. *A*
hysteric. ℥iij. *Cinamom.* ℥j. *Syr. de Cinam.* ʒvj. M. D. S. Wa
ser zu dem Pulver. ℞. *Tinct. Vitriol. D^t. Zwölf.* ʒij. *Elix. P*
priet. Par. Liq. C. C. succinat. ā. ʒj. M. D. S. Tinctur/ dav
Morgens und Abends 40. biß 50. Tropffen zu nehmen.

Inspectis & perpensis his, Medicus ex Ægra, *quæsiv*
Quid & quamdiu patiatur? Aliaque plura sibi ad curat
nem instituendam necessaria. Rescivit ex *responsis*, Ipsa
matrem esse 2. liberorum, vixisse & virginitatis & conju
tempore à morbis liberam cum debito mensium fluxu u
quadrimestre abhinc elapsum, quo tempore à febre co
nua tunc grassante obrutæ menses emanserint, super
continuæ successisse intermittentem cum insigni viri
debilitate, ut & ἀπυρεξίας tempore extra lectum com
rari non potuerit, modò alternis diebus, modò quot
invadentem, diu durantem, tandem & hanc cessasse. Q
verò tum temporis, cùm consuleret priores, & postea h
Medicum, afficiebant, erant sequentia: *Pallor ad luteum*
cedens, tabes insignis totius, ut vix cutis ossibus hæreret, cal
n. lentus cum interpolatione unius & alterius rigoris, cephala
vigiliæ, dyspnœa, sitis, anorexia, tormina nonnunquam, lassi
non levis: Vrina erat tenuis, justo magis tincta, pulsus celer
quens, debilis. Ex quibus trutinatis facilè collegit Medi
mensium defectum non *Caussam*, sed *effectum* esse hıju
fectus, frustraq; imò cum noxa menagoga communiter
tata hîc in usum duci, hinc suasit ægræ, ut quotidiè m
hora circa 7. & vesperi hor. circ. 4. assumeret pulv. seq
cum vehiculo quantùm 4. cochlear. capiunt:

℞. A

℞. *Matr. perlar. præparat.* ℥ij.
Specif. antihect. Poter. ℨiij.
Ocul. Cancr. præparat.
Tab. man. Chr. perlat. ā. ℨvj.
M. f. pulv. D.

℞. *Aq. Senec.*
taraxac.
cichor. ā. ℥ij.
Syr. rub. id. ℨvj.
M. D.

Ut hora 9. antemerid. *Gelatin. liquid. ex Ebor. & C. C.* cochlear. cum juscul. fol. *acetos. spinach. violar. & rad. cichor.* *entibus* alterat. caperet, hæc medicamenta per mensem ntinuaret, simulque *diætam* observaret *accuratam*, absti-ndo à vino, nimis aromatisatis, salitis, acribus, viscidis, speptis &c. *Potum ordinarium* præscripsit ex paucis simpli-ous convenientibus cum aqua fontan. decoctis, e. g. *C. C.* *d. & rad. Cichor. vel cum Cinamom. vel cum sem. fœnicul.* *t coriandr. præparat.* &c. pro lubitu aut gustu ægræ. Qui-s cùm obtemperasset Ægra, per DEI gratiam sensim sub ı medicamentorum sensimque dicta symptomata remi-e, inde appetitus rediit, sitis, dyspnœa, lassitudo, cepha-gia, tormina, calor p. n. vigiliæ cessavere, habitus corpo-increvit, & cutis & urina debitum induerunt colorem: Ipsaque ad sua cum vigore reversa est munia, *subse-quente altero mense fluxu deside-rato.*

PROOEMIUM.

Q*Vantus eheu! morborum cumulus atq*
acervus ex alimentorum sive defectu, *sive quà q*
litatem & utendi modum pravitate, *ex cæterarum*
rum non-naturalium perverso usu, *ex* spirituum *tàm vi*
lium, quàm animalium vitiis, *ex* sanguinis *ac reliquor*
humorum *ordinariè naturalium dyscrasia ac textura perv*
sa, *ex* solidarum *tàm mollium quàm durarum partium cr*
conformatione ac unitate læsa oriatur, ac tandem post se t
hat Terribilium istud omnium Terribilißimum , mortem s
cet, quotidiana Exempla Nos docent, *perdocentq́. Ast ve*
mala talia si ordine singula recensere vellem, dies deficeret, n
to minus pagellarum harum angustia, farraginem horum
scipere capax esset. Placuit è tot tantisq́ morborum generi
casum hunc specialem *in fronte propositum atque ab* Ex
lentissimo Domino PRÆSIDE *benevolè communica*
affectum in libris rarissimè, in Praxi frequenter *ocur*
tem, pro Themate Dissertationis Inauguralis, jussu atq́ in
tu Amplissimi Medicorum Ordinis *habendæ, eligere*
stumque quoad Theoriam & Praxin pro viribus elaborare
describere. Antequam autem id fiat, Altissimum Nu
devotè veneror, precorque, ut hisce ultimis studio
Academicorum conatibus, complemento quasi, ut ha
nus, Gratia sua clementer adesse, atque ex Alto b
dicere velit!

Thesis I.

M*Enses* aut *Fluxus menstruus*, καταμήνια quid dicant, n
est. Effluit autem stato isto tempore communiter
menstruum tempus exquisitum & regulam circa idem
ceptiones nonnunquam observandas, non negamus
vasa uterina sanguis, quia tum *sanguis* se expandit, in ferment

iem, orgasmum agitur; in turgescentiam excretoriam, particulis elasticis activis fermentescibilibus accumulatis, portam sibi pandentibus, ceu & ex eadem causa nonnunquam viri sanguinis per hæmorrhoides, nares &c. experiuntur fluxus. Fluxum istum primariò & unicè à Lunæ mutatione plerique deducunt, sicut & in Epilepticis, febricitantibus &c. paroxysmos talibus mutationibus auscultare observatur; Nec nos omnem hîc Lunæ denegamus actionem, primariam tamen & Medico Practico potissimùm juxta Lunam observandam istum fermentatorium exeundi conatum ponimus. Fluxus enim hic si *læditur*, si à regulari desciscit, variè lædit. Quod simili ex Macrocosmo *Auctores* hodie illustrare conantur: Si machinæ alicujus, Hydraulico-pnevmaticæ motus regularis rotarum vel aquæ affluentis, ille immediatè hic mediatè machinam movens, intercipitur, turbatur vel in totum supprimitur, derepentè de actionibus & motu machinæ istius admirandæ actum erit: ita etiam in Microcosmo videmus potissimam muliebris s. sequioris sexus sanitatem, in debito & convenienti sanguinis exuberantis ad uterum motu ac excernendi modo, consistere, adeò ut si is ritè & convenienter se habeat, iste (cæteris paribus) bene ac belle vigeat & valeat, ubi secus, illicò etiam machina sexus muliebris in motu, actionibusque peragendis turbetur ac detineatur; littoralis quippe hic sanguinis motus de totius constitutione testimonium exhibet: Qualis enim sanguis sive potius fluxus menstruus, talis sexus fœminei sanitas. Accidunt autem Varia in. circa hunc Fluxum, *depravari* enim, cum dolore, vitiosè, inordinatè per aliena loca excerni, *augeri*, *imminui*, *aboleri* solet. Et inter alia suppressio mensium multorum causa morborum.

II.

Deest autem *Fluxus* toties dictus, ut medicam non exposcat opem e. g. in puellis, impuberibus, in senescentibus, gravidis, lactantibus, viraginibus, validius corpus exercentibus & à morbo graviori convalescentibus, tales enim absque ipso actionum gaudent integritate. Quando verò hanc lædit, tùm Medicam exposcit opem absentia fluxus, lerna tunc occurrit malorum & ægras & Medicos ferè fatigans: Adsunt vario lusu nausea, anorexia, pica, ructus, vomitus, dolores acerbissimi, abdominis tumores, urina cruda, limpida, dyspnœa varia, deliquia, cephalalgia, odontalgia, torpor, vertigo, deliria, spasmodici motus, pulsus rarus, debilis, lassi-

tudo insignis, corporis gravitas, luridus, ex viridi pallescens color, scabies, palbebrarum, artuum tumor œdematosus &c. Ideoque cum malum hoc sexum sequiorem tàm frequenter, sub vario tamen læsionis schemate infestare soleat, in salutem ac emolumentum ægrarum pro Themate Disputationis Inauguralis id selegi, sed non in omnibus libris obvium, verùm in paucis & brevissimis tangi solitum Casum *Emansionis mensium, in quo nimirum propter Caussam mali hujus immediatam & proximam cura aliàs ordinaria locum non habet, sed potiùs nocet*, si enim in tali vel simili casu medicamentis Emmenagogis fluxum promovere tentaveris, ægram semper & certò certiùs in majus malum conjicies. Elegantia sunt quæ Celeberr. Wedelius in Amœni materiæ medicæ Amœnitatibus, Lib. II. Sect. II. cap. XI. p. 405 scribit: Quid juverit alveum solicitare, ut humorem fundat, ni rivus & fontis radix in alveum derivetur restitans, vel impeditu Par ratio est Emenagogorum. Nunquam menses fluere norunt & ὀργασμὸν pati in utero, nisi redundaverit in corpore sanguis, & mot suo ὀργασμῶδει huc feratur. Pellas ergo, Empirice, quantum veli vel ipsa sabina aliisque potentibus propinatis, frustra erunt omni nisi sanguinis consensus accesserit universalis.

III.

Variæ a. sunt, ob quas menses p. n. *subsistere, deficere, supprimi, emanere*, (quę discernat invicem, qui accuratus esse vult, necesse est) sole *Caussæ*. Quæ omnes vel ad *Viarum angustiam*, vel ad *Sanguinis vitiu* reduci possunt & debent. *Viæ illæ*, tàm per quas advehitur, quà per quas evehitur ac emittitur sanguis, arteriæ nim. vagina & collu uteri angustiora justo sunt, *vel* à primo ortu, ut in imperforatis, ob insuetudinem, ut ita loqui liceat, ceu in puellis ante vel sub pri cipium pubertatis, *vel* ob fibrarum constrictionem nimiam & p. *vel* ob comprimentem pinguedinem, calculum, tumorem, partium ipsarum aut vicinarum, sive phlegmonodem sive œdemat sum sive scirrhosum, *vel* ob occlusionem à carnoso vel membrano corpore annato, *vel* ob conformationem & situm uteri, præs tim cervicis vitiatum, aut contorsionem, *vel* ob coalitionem p abortum frequentem, vulnera, ulcera, cicatricem, callum, co junctionem non debitam ex quacunque causa relinquentia, *vel* obstructionem, quam solida & humorosa viscida inducere sole præsertim *sanguinis* particulæ crassæ viscidæ, glutinosæ, in ex

bus vasculis, ductibus, tubulis subsistentes, & sensim sensimque cumulatæ, de cujus vitio nunc. Dum enim Causa proxima dicti mali fit Sanguis, contingit id, quando illius motus ad naturalem istum fluxum requisitus, de quo supra, imminuitur aut deficit ob particularum sanguinis debitè spirituosarum, volatilium, sulphureo-salinarum, ctivarum vel *defectum*, vel *inertiam sive ineptitudinem*. *Deficiunt* tales articulæ, quia *vel* non in sufficienti quantitate generantur sive mateiæ, sive generantis culpa, vel genitæ tàm sensibiliter, quàm insensibiter nimium evacuantur, educuntur, dissipantur, resolvuntur, abmuntur, in alios usus convertuntur. *Inertes*, *torpidæ*, *ad fluxum tum instituendum & promovendum ineptæ*, *indispositæ* fiunt, dum *Aut* udatæ particulæ non, ut fieri deberet, spirituascunt, exaltantur, evoluntur, subtiliantur, in agilitatem alacrem non sublimantur, sed otius serosæ, aqueæ, tandem crassescentes, in viscidam glutinom massam coeuntes generantur: *Aut*, tales etiamsi debitè spirituo-, volatiles, ab heterogeneis, fixis & figentibus, terrestribus, craf-, limosis, sæpiùs acidis, austeris, in magna quantitate obruun-r, superantur, supprimuntur, visco quasi irretiuntur, compebus ligantur, & ipsarum volucres activitatis alæ ligantur. Congunt talia *nonnunquam* materiæ, alimentorum nim. aut chyli, *nnunqnam* efficientis, gignentis causæ culpa. *Aut* volatiles quidem tenues sulphureæ fiunt, sed nimiùm, extra terminos ordinarios, n sub debito gradu & textura, effrænes magis, quàm cùm modeione activæ sunt: nec enim quævis accensio, quævis spirituascen-, turgescentia particularum sanguinis, actionum integritati, & ul menstrui fluxus promotioni apta est aut satisfacit, sed mode-a, sed blanda, sicut nec quivis fervor militem decet, sed prudens. usa hæc postrema, licet raro & paucissimis saltem à *Practicis* in orum Voluminibus tangatur, haud infrequens tamen est. Hinc t, quid hic valeat *Ventriculus* cum suis Parastatis in officio, quid ant *Viscera* sanguinis generationi & depurationi dicata. Causæ enus discretivè adductæ non raro ad producendum dictum effen *concurrunt*. Quomodo *Res Naturales*, *Non-Naturales & Præaturales* ad harum causarum accusatarum generationem, fotum, auctionem & agitationem concurrant, nostri instituti est hic exponere, sed potius Specialis nostri Casus concisam inere enucleationem.

IV. Af-

IV.

Affectus *Ægræ* Hujus, cujus potissimùm imò unicè urget ablationem, est *Emansio Mensium*, quam, non quod primaria fue symptomatum sive effectuum causa, sed quia ad petitum Ægræ co tra legitimæ methodi leges Ipsi soli opposita fuerunt medicament debitis autem adhibitis cum aliis fuit ablata, quâ *Subjectum*, *Causas reliqua requisita* describere, ac *rationem Curationis* postremò institu reddere nobis placet, affectum istum febrilem lentum alii loco & tem pori reservantibus.

V.

Subjectum constituimus Totum Corpus, quod hîc patitur c spirituosas humorosas, & solidas suas partes. *Causale* ponimus M sam Sanguineam, & ad hujus dyscrasiam ac texturam perversam m tùm contribuentia Viscera & Glandulas, quæ in tàm diuturno affe à labe omni immunia non sunt.

VI.

Causam accusamus *Sanguinem cum lympha & deficientem & p ticulis calidis, sulphureis, nimiis, biliosis, oleosis, resinosis, salsis, a bus tenuoribus, ad menstruum excretorium orgasmum ineptis, p. n. ctum.* Nec enim, si omnes signorum Medicorum fontes perqu mus, illis vasorum vitiis, nec visciditati, crassitiei, aciditati s guinis imputari potest culpa, sed dictæ potius sanguinis deviati *Consistentiam* causæ si consideramus, fuit ea è fluidis. *Spiritus* e non in debita quantitate, subtilitate, non in justo vigore adsunt, crasεos ac texturæ suæ ordinarios limites transgressi sunt: *Fuligin halituosa, flatulenta* è fomite & minera accusata sub agitatione utique exurgunt: *Sanguis* verò potissimùm per se dictis modis sciscit, simul &, quin reliquis *humoribus naturalibus* labem affri nullum est dubium. *Modus læsionis* si determinandus urgetur, tium adest Quantitatis, sanguis enim cum lympha & hinc simul ritus à morbis prægressis absumpti imminuti sunt, non verò in ficienti quantitate generantur, ob partium internarum ipsius gen tioni & depurationi præfectarum in officio remissionem. Po mùm autem Qualitatis: (vocabulum usitatum retinemus, non qualitatem saltem primam, nec per se solam absque subjecto intel mus) Fervidiores enim tenuiores, acriores, biliosæ ad effervesc

tiam ordinariam excretoriam ineptæ particulæ sanguinem & alios humores præ aliis constituunt.

VII.

Unde autem ista sanguinis dispositio, lentus iste febrilis calor, istæ accusatæ particulæ provenerint, inquirenti occurrit febris continua & intermittens, quâ laborabat prius & diu torquebatur Ægra; Febres enim tales continuæ & intermittentes malignæ (quod epidemica grassatio & illa singularis virium debilitas, de qua in Historia, monstrant) ortæ à turbata per vel accensionem, vel ebullitionem, vel effervescentiam, sanguinis mixtura, etiamsi ablatæ, variam aliquando in sanguine post se relinquunt dyscrasiam, heterogeneam & perversam texturam, sicut hîc ob biliosas, oleosas, acriores, salsas, tenues instar prunarum non flammæ se habentes particulas lentæ tabificæ febris causam, post se reliquerunt. Nec solùm in sanguine particulas relinquunt inconvenientes, sed & labem visceribus ac glandulis inurunt, ut tales, quales hîc accusamus, suppeditent. Et quidem dictæ tales continuæ & intermittentes malignæ febres diu durant, variè ludunt, variis typis alternant, aliquando per malum istum morem, qui talibus febribus, ut accuratiùs singula observanti Medico patet, peculiaris est, aliquando & sæpiùs per nimis quibusdam familiarem oppositionem à principio armorum Medicorum violenter agentium quæ plerumque hic magis nocent, quàm prosunt. Simul & Ægra hæc per totum vitæ decursum sana à continua febre grassante obruta docet illam dispositionem, quæ ad recipiendum malum epidemicum aptam reddit, non semper specialissimè determinari posse, cùm & variet pro varietate ipsarum febrium malignarum, quarum malus mos genericus quidem idem aut non multum, in specie autem valdè diversus est, quod in Praxi Medica observare cuivis non obiter mores morborum & indolem consideranti facile est. De antegressa autem & adhuc ægram fatigante febre ut jam dixi, ex professo hîc agere scopum meum excedit. Inter Res Non-Naturales ad istarum toties incusatarum heterogenearum particularum generationem, cumulationem & agitationem concurrentes meritò recensenda *medicamenta ista Emmenagoga vehementiora.*

VIII.

Adjunctorum illorum; quæ à Medico deprehensa in Historia recensentur, causæ simul fuerunt particulæ istæ sylvestres, devian-

tes accusatæ: *Pallor* ad luteum accedens colorem in toto conspici-
batur corpore, ortus ab ipsis in sanguine prædominantibus, in va
capillaribus potiss. lymphaticis subsistentibus, unde dum ad part
exteriores & musculosas sanguis non admodum laudabilis, spiritu
sus & rutilus, sed potiùs degener afflueret, particulæ istæ p. n. i
succum illum subcuticulare reticulum oblinentem sua prava tinct
ra inquinarunt, & corporis habitum isto lurido tinxerunt colo
Tabes insignis totius, ut vix cutis ossibus hæreret, oborta est, tan
defectu sanguinis & seri laudabilioris, sive consumptis atque depr
sis particulis balsamicis, roscidis, oleosis atque chylosis, quàm à pa
ticularum accusatarum exaltatione & cumulatione, M. S. ad nut
tionem ineptam reddente, cùm itaque malum hoc diutiùs durar
partes denique omnes totius corporis solidæ in marasmum p. n. i
consummatum abierunt. *Calor* aderat *p. n.* à particulis acribus
peregrinis M. S. in motum ac effervescentiam febrilem & p. n. ag
tibus, non autem amplius talem ut deflagratio adfuerit, sed lent
occultus sub cineribus quasi, & tacitè repens instar istius, qui à pr
quasi tectis, calor: *Rigor* conjunctus & interpolatus à particulis a
oribus panniculum carnosum lacessentibus & inæquali sanguinis
æqualis allapsu ortum ducebat. *Cephalalgia* excitabatur à sang
cum impetu irruente viam & exitum non inveniente, vasa distend
te atque subsistente acriore, unde à distensione, ab acredine ista,
si mavis, à particulis asperis, hamatis, aduncis, cubicis coacer
inæqualis disproportionata in fibrillas nerveas actio. *Vigiliæ* à p
culis accusatis spirituum quietem turbantibus ortæ fuerunt.
spnœa à sanguine per pulmonum vesiculas liberè transire non apt
ipsarum vesicularum & bronchiorum cum reliquis concurren
partibus irritatione p. n. inducta fuit, suum & symbolum conf
tibus flatibus. *Sitis*, tàm ob defectum seri & lymphæ blandæ ir
tioni destinatæ, quàm ob molecularum sæpius accusatarum fa
linguam, palatum & ventriculum siccum ac aridum redden
copiam, urgebat. *Anorexia*, quia Ventriculus non debita cr
tono gaudebat, potissimum verò fermentum s. liquor gastric
deficiebat & spiritibus animalibus, particulis acido-salinis, s
debitis carebat, p. n. vero acribus, salsis, sulphureis tinctus
atque ita tàm quantitate, quàm qualitate peccabat, ægra nost
borabat. *Tormina* nonnunquam, à particulis in hoc affectu præd

ntibus, tunicas & fibrillas inteſtinorum nerveas, rodentibus, la-ſentibus, atque ſpasmodicè convellentibus, à flatibus acribus di-ndentibus, aderant: Et dum inteſtina ſpasmodicè convellebantur, npha & humores iſti acres, acidi, ſalſi copioſiores è glandulis in-ſtinorum, pancreate atque veſicula fellea; exprimebantur, qui idem in concurſu, propter varietatem & heterogeneitatem parti-larum, effervescentiam inordinatam, contrariam & p. n. com-verunt, torminaque auxerunt. *Laſſitudinem* non levem ægra ſen-bat, non ſolùm, quia ſpiritus motui vegeto atque naturali dicati, quantitatem defecerunt, quá qualitatem vero impuri, ad motum pti & dyſcrati fuerunt, ſed &, quia ſanguis variis accuſatis hete-geneitatibus inquinatus, ad motum debitum, ineptus redditus t, adeò ut fibrarum congeries muſculoſa à dicto ſanguine dyſcra-premeretur, atque ita in debita tenſione tàm contractiva, quàm anſiva impediretur. *Urina* erat tenuis, juſtoque magis tincta; *uis* erat, quia ſanguinis maſſa ad ſecretionem in renibus ſuſtinen-n inepta non ſolùm, ſed & renes ipſi in actione; in officio ſuo ſe-s ac debiles, propter ſæpius jam dictas cauſas, exiſtebant. Juſto em *magis tincta* ſimul, à particulis ſulphureis, ſalinis ſubtiliori-atque volatilioribus; ceu quibus viæ præ cæteris craſſioribus pa-nt, urina erat. *Pulſus* cur celer frequens, debilis fuerit, ex accu-ſpirituum ac ſanguinis diſpoſitione & textura prava mox patet.

IX.

Signis ad ſuppreſſionem menſium detegendam opus hîc non eſſe tur. Ægra enim cum ſummo mœrore in ſemetipſa horum e-ſionem experitur, putans omnia hactenus ſibi moleſta mala atq; ptomata ab hac unica & ſola ſuppreſſione proveniſſe, & ſi hi ummodo in priorem ac priſtinum fluxum redigerentur, omnia ua mala brevi ceſſatura eſſe: imò Medicus ex facie, habitu cor-s & reliquis adjunctis tale quid concludere poterat. Non autem narium affectum & reliquorum ſymptomatum cauſam eſſe, ſed l cum illis effectum prudenter Medicus collegit ex corporis titutione prima, ex cauſis materialibus & efficientibus, ex mor-ntegreſſis, ex adjunctis concomitantibus tàm actionum læſarum, n qualitatum mutatarum & excretorum ſymptomatibus, ex læ-bus, quæ ſinguli tàm Hiſtoria recenſita, quàm in prioribus bus expoſita cauſam à nobis Theſ. VI. determinatam ſignificant.

 X. Medi-

X.

Medicus in *Prognosi* formanda occupatus, non desperatam qu dem, attamen propter mali, quod jam tum tam altas radices egeri sensim sensimq; corpus enervarit, spiritus ac vires multum consun serit, diuturnitatem atque pertinaciam, & quod etiam in & per non tam facilè cederet medicamentis affectus hic, curationem bre non obtinendam censuit, spe tamen non exigua suffultus, præserti & ob *frequentiorem* talis affectus, si debitè tractatur, *debellationem* curam aggressus est; optimè quidem sciens, mensium suppressione in genere ex se primò malum non adeò periculosum videri, progr su tamen temporis caussam gravissimorum affectuum existere pos utpote non rarò ex suppressis mensibus Cachexiæ, Hydropes, Ulc ra partium varia, Asthmata, Sputum sanguinis, Tabes universal Phthisis aliique morbi planè periculosissimi, imò tandem mors i provenit.

XI.

Curationem examinaturi per ἀρχὴν primùm, cur *illa communi a frequentia* mensium defectui s. emansioni opponi solita *medicame* non solùm non juverint, sed & magis læserint, *rationem* reddi facilè. Ut enim menses debitè & naturaliter fluant, requiritur, p ter alia, ut sanguis adsit in debita *quantitate*, ut corpus sanguin succo bono ac laudabili diffluat imò abundet, quò portiuncula dam carere & ad effluxum quid suppeditare possit. In *proposita* au *Ægra* morbi prægressi non solùm sanguinem cum lympha blan roscidum consumpserunt, sed & labes ab illis relicta & inusta pori debitam porrò ejus generationem impedivit. Blandum ergo morem deficientem magis particulis suis calidis attenuantibus tilibus absumpserunt, dissiparunt & resolverunt illa primùm as pta medicamenta, undè non solùm frustraneus, sed & noxius tus fuit effectus. Ad dictum debitum & naturalem fluxum req tur, ut sanguis *qualitate*, *mixtione* s. *crasi* ac *textura* tali gaudeat aptum ipsum reddat ad turgescentiam, ad orgasmum, ad ferm tionem istam, qua mediante vasa uteri excretoria ingreditur, di dit, atque effluit. In *Ægra* autem *hac* talis crasis ac textura defui fuit ecòntra perversa ac heterogenea, reddens sanguinem inept hunc orgasmum excretorium, aptum vero ad motum penitùs e tricum. Quem motum non solùm, sed & ipsas in sanguine tot

ſtas moleculas p. n. menagoga iſta auxerunt, & magis agitarunt agi-
atione penitus aliena, perverſam illarum texturam intenderunt, ex-
ltarunt, mixturam ſanguinis turbatam amplius turbarunt, cum mor-
i magis augmento, quam incremento. *An* iſta ab *utroque Medico*
rius præſcripta medicamenta ſuſtinere valeant rigoroſum Moder-
orum Medicorum pharmaceuticas formulas accurato judicio ex-
endentium examen, hîc non inquiram.

XII.

Deficere aliquando *Menſes* in convaleſcentibus à morbo ſ. acu-
o ſ. chronico *unus* & *alter Auctor* tradit, ſed ſubjungere ſolet, *in tali*
aſu non deſiderari curam: At alius eſt noſter caſus; Ægra enim hæc
onvaluit quidem ab una & altera febre, ſed detinebatur tunc ab affe-
tu, periculi non experte, ſanguinis habebat texturam, quæ curam
nſtanter expoſcebat, niſi ſenſim ſenſimque ægra ad mortem trahi
ellet. Sennertus Lib. IV. Prax. Part. II. Sect. II. cap. 3. inquit: In
ebribus & ſimilibus morbis, quæ epar debilitant ſanguinemque ab
o generatum in toto corpore abſumunt, non ſolum nihil ſanguinis
uperflui, quod ſingulis menſibus evacuetur, redundat, ſed etiam
b ejus defectum nutritio læditur, & corpus emaciatur. Ideoque ii
rrant, qui in talibus caſibus menſtrua provocantia exhibent; cum
nguis, qui evacuetur, non adſit. Et paulò poſt: Neque menſes
oventia medicamenta exhibenda iis, in quibus nulla ſanguinis eſt
undantia, ſed in macilentis atque extenuatis ſanguis primùm bona
ctus ratione reparandus, qui ubi reparatus fuerit, ſponte poſtea
ofluit. *Verùm* & hæc non penitus ſatisfaciunt *in noſtro Caſu*, nam
on ſolùm ſanguinis quantitas pro evacuatione ſufficiens non adeſt,
d & potiſſimum qualitas, diſpoſitio, textura ejusdem inepta ad or-
nariam evacuationem eſt.

XIII.

Neceſſariò ergò, ne magis magisque conſumeretur corpus, &
ndem exanime redderetur, *Quid agendum* cenſuit, ſed alio modo,
edicus poſtremus. *Ipſi* nimir. *cauſæ amovendæ* ſuam impendit ope-
m, qua ſublata effectus iſtos & ipſam etiam menſium emanſionem
olatam iri prudens *ratiocinio* & *experientia* firmatus collegit. Re-
læ enim veræ medendi methodi ſuppeditarunt, hîc Indicatum iſti
ueſ. 6. Indicanti opponendum, nim. juſſerunt, ut laudabilis cum
mpha ſanguis reſtitueretur, reſtauraretur, ut illa p. n. tingentia ni-

mia imminuerentur, eliminarentur, calida refrigerarentur, sulphurea, oleosa, salsa, acria, tenuia, obtunderentur, immutarentur mitigarentur, inverterentur, imbiberentur, infringerentur, in consistentiam debitam redigerentur. Quod &, effectibus istis simul ablatis, *per DEI Gratiam*, sine suo potita medicamenta obtinuerunt

XIV.

Fuerant autem ista: *Mater. perlarum praeparata*, *Oculi s.* potius *Lapilli cancror. praep.* Horum utut insipida appareat substantia, non destituuntur illa tamen particulis activis, salino-volatilibus, roscidis balsamicis (propter quas singulariter Ocul. Cancr. praep. laudat B. Sachsius in Gammarolog. p. 83.) atque mucilaginosis, hinc virtute restaurante & refectiva gaudentibus, potiss. verò propter particulas imbibentes, absorbentes & praecipitantes, absorbentium inferuntur Classi, ceu quae non acidas, solùm, sed & salsas, acres sulphureas &c. enervant, absorbent, imbibunt, immutant, spicula ipsorum obtundunt, figunt & corrigunt, ipsis cohaerendo, ipsi subeundo, sicque crasin, texturam, ordinem, numerum, pondus, motum, immutando; simul & vim diaphoreticam, diureticam exerunt, nec virtute exsiccandi, partes ac fibras laxas firmandi & roborandi destituta. Unde à *Quibusdam* tàm insigne cordiale audiunt Ocul. Cancr. *Quibusdam* celebrantur tanquam medicamentum antifebrile, potiss. in febribus intermittentibus. *Specificum Antihecticum Poterii*, non ampliùs, ut olim, sub Ænigmate in Chymicorum libris latitans, sed hodie declaratum & explicatum, prudenter & feliciter antimonii à particulis sylvestribus, acribus particu liberati & Jovis connubium instituens, particulis constans absorbentibus, imbibentibus, blandis, exclusis nocivis, immaturis, metallicis, arsenicalibus, mercurialibus, calx activitate gaudens non contemnenda. Hinc commendant id Auctores in morbis Venereis Febribus quibuscunque, Ictero, Cachexia, Phthisi, Hectica, alisque ubicunque acidum absorbendum & imbibendum tanquam egregium & praestantissimum: imò tales calces non absorbent solùm acidas, sed & corrigunt, infringunt p. n. sulphureas, enixas, ac particulas. Et est hoc *Bezoardicum s. Diaphoreticum Joviale*, ut opus sit aliud ab hoc distinctum majori labore & nimia curiosi elaborare. Nam quando Chymicae elaborationes & inde nato medicamentorum vires non, ut prioribus temporibus plures si

on

omnes fecerunt Chymici, solis jactabundis rethoricis imò hyperbolicis deprædicationibus æstimantur, sed per doctas rationes examinantur, ac determinantur, certè multùm felicitatis accedit & Medicis & ægrotis: Isti enim à tot tædiosis & inutilibus laboribus &c. liberantur: Horum & sanitati & crumenæ meliùs consulitur. Quantum enim quâ præparandi modum, sed quàm parum quâ vires medicinales differant, norunt *prudentes Pyrophili.* Quod & *Celeberrimum Augustanum Collegium Medicum* movit, ut in *dispensatorii Noviss. Editione* sub *Illustris Schröckii* Decanatu & enucleata revisione ac elaboratione Anno 1684. prodeunte, pro confectione *Bezoardici mineralis* modum *Excell. Wedelii*, ut tutum satis & facilem ac compendiosum posuerit. *Tabulas manus Chr. perlatas* tàm ob gratiam & faciliorem pulveris cum vehiculo mixtionem, quàm ob vires refi- ientes *Medicus* hisce addendas duxit.

XV.

Vehiculum pulveris constabat ex *aquis trium plantarum* destillatis. *Senecio*, vulgaris quidem planta est, & quoniam vix ulla frequentior ubique crescere solet, *Quidam* pro vilissima nulliusque pre- planta habent, æstimantque, sed certe plurimis aliis non cedit quâ vires insignes. Possidet particulas demulcentes, diluentes, simul tenues &, ut *Galenus* vocat, modicè digerentes. *Celeberr. Sim. Pauli Quadripart. Botan. Class. II. p. 150.* scribit: *Hujus herba hæmorrhoidibus valdè dolentibus, mammis, testibusque inflammatis, utiliter aquâ vel vino decocta, forma cataplasmatis imponitur. Ego generosius præsentius medicamentum (cujus succedaneum bellides sunt) adver- morbos recensitos nunquam reperi Senecione &c.* Aqua hujus stillati- in febribus perquam utilis est: Experientia unius vel alterius *Au-is* circa hanc herbam deficiens frequentem *Aliorum*, inter quos *Excell. Dn. Præses*, & felicem ejus usum non tollit. *Marci & -ii Veterum Scriptorum* Experimentum circa hanc plantam non istis superstitiosis (si quid juvat) ceremoniis, quàm sanguinis e- givis eductioni est adscribendum. De *Taraxaco* seqq. habet *Ettmüllerus in Schröder. dilucidat. Phytolog. p. m. 102. Taraxacum inter- tas Epaticas s. eas, quæ M. S. dyscrasiam corrigunt & emendant, -è commendatur, unde est, quod in febribus intermittentibus quibus- -ue sit adeò egregium simplex: dum quocunque modo assumptum ante -xysmum, illas solet per sudorem curare. In intermittentibus tàm re-*

centiori-

centioribus, quam inveteratis & chronicis convenit infusum, vel in v *& expressum, vel decoctum potum: sic enim certò febres pellit. Aqua* *stillata Taraxaci servit loco vehiculi aliis medicamentis in pleuritide,* *bribus intermittentibus, & similibus affectibus.* Ut taceamus vires e reliquas, quas potiss. usu externo in affectibus oculorum exerit, p ptereaque multum laudatur atque extollitur. *Cichorium,* inq *Schröderus Pharmacop. Med. Chym. Lib. IV. Class. 1. num. 96. Ep* *cum est nobilissimum frig. & sicc. 2. (aliis calidum videtur ob amarore* *aperit, diureticum est, attenuat, extergit. Usus præcipuè in hep* *obstructione & febribus.* Hinc Quibusdam dicitur frigidum, c in intemperie sanguinis calida magnopere prosit: aliis verò prop amarorem & saporem acrem ceu caliditatis signa, & propter v abstergentes, deobstruentes, attenuantes, calidum videtur. I hanc controversiam non decidemus, scientes, haud pauca esse s plicia non simplicibus gaudentia particulis, aperientia si non d ctè & immediatè, mediatè tamen refrigerare. Quali dictæ hæ p tæ gaudeant *Charactere*, in quo circa certas Classes determinand geniosi ac miram Creatoris sapientiam venerantes *Moderni Bot* magna laude & optimo effectu occupantur, qui scire cupit, *Rece* *rum* adeat *Hortos Chartaceos & Medicos.* Commonefacere a simul *Cand. Lect.* placuit, nè *Chymicorum Quorundam* obtrectat bus, aquas destillatas omni activitate & utilitate carere, crepan tàm facilè fidem addat; dicimus enim, rationibus non levio moti, aquas simplicium debitè, cùm debitis quà modum, vasa, ac da &c. cautelis à *Chymicis pacificis* adduci solitis, destillatas, virib solùm non penitùs destitui, sed potius multis particulis activis ut salino-volatilibus, salino-sulphureis subtilioribus impregnata qnid quæso enim sapor quarundam satis intensus, quid odo satis fragrans, quid singularia in ipsis, quæ in simplicibus, è c eliciuntur, adjuncta, nisi à particulis abrasis & secum advect phureis atque salinis. Potissimùm laudandæ illæ in talibus aqu phurea, acria mitigantes, temperantes, diluentes, humectant rum augentes particulæ, ob quas non solùm reliquis medica vehiculum præbere, sed etiam humores acres, salsos, diluere a perare, effervescentes verò & orgasticos restinguere atque c reddere solent, hinc laudibus suis dignæ. Quæso, *Volatil* *tilium Patroni* juxta spirituosa valdè necessaria etiam his locu

edant! Velut enim ad vitam humanam in societate civili susten-
ndam miræ quâ dignitatem, vitæ genus, labores &c. varie-
tis homines concurrere debent: ita & ad corpus humanum con-
rvandum & restituendum non solùm illa, sed & hæc adeoque
ria requiruntur medicamenta; Hinc, ceu non raro spirituosa
olatilia Chymica fixioribus, mitigantibus, ita & sæpè tempe-
ntia, diluentia, refrænantia, alas dementia, volucribus pene-
antibus & Chymicis palmam præripiunt, aliquando sociari
ostulant. Præsertim verò hoc tempore, quo Acidum à Monar-
hia in morbis cudendis deturbatum est. Additus dictis aquis fuit
rupus Rubi idæi: Hic fructus propter vires confortantes in fe-
ibus non solùm malignis sed & aliis quibuscunque maximè
mmendatur: adeò ut *Gesnerus* antiquus quidem, sed fide dignus
edicus, *in Epist. lib. I.* scripserit; quod Syrupus Rubi idæi præ-
rendus sit omnibus perlis & gemmis in corroborando corde &
omacho: Notum enim est, quòd mulierculæ in prostratis vi-
bus, statim ad Tincturas, Essentias & Aquas perlatas confugi-
t, quæ nonnunquam in damnum potius, quàm emolumentum
rorum cedunt. Hunc abusum damnat *Gesnerus* & præfert *Sy-
pum Rubi idæi.* Unde cum commodo adhiberi solet in morbis
lignis: in specie febribus petechialibus. Sale nimirum & sul-
ure valdè volatili juxta liquorem demulcentem mitigantem rubi
ei fructum abundare experimur, adeò ut tres, quatuorve manipuli
ctus hujus totum & satis spatiosum conclave fragrantia sua re-
e queant.

XVI.

Jufcula alterata, quæ ægræ nostræ suasit Medicus, constabant
*erbis & radicibus alterantibus, mitigantibus, temperantibus, cor-
ntibus*, ac *reficientibus*: Cum jusculis talibus exhibuit *Gelatinam
dam*, ex *Ebore & C. C.* paratam; Gelatina eleganti metaphora à
nomen accepit, æmulatur enim aquam gelatam, & actu calore
ito liquescit, frigido concrescit eadem. Hinc Geleé audit Gal-
Exhibent autem Gelatinæ succum mucilaginosum balsamicum
articulis sulphureis plicabilibus & aqueis, contemperatis oleosis
linis volatilibus, quas occultant. Hinc *Quidam Auctores* Gelati-
ihil aliud quam sal volatile concentratum, à mucilagine sper-

matica, esse volunt: dant enim Cornua & Ossa spiritum & sal copio
sius. Unde videm9 Ossa coctione mollescere penitus & in substantia
ferè primam converti; notiss. autem est ossa ex cartilagine, cartilagin
ex mucilagine, mucilagines verò ex sero nasci. Unde ex dictis usu
& vires gelatinarum perfacilè eruere poterimus; prosunt propt
particulas dictas mucilaginosas, glutinosas, serosas, blandas & r
scidas. Prosunt sanis: Prosunt ægrotis, quibus γλιχρὸν deest, qu
resarciunt atque restaurant, unde apprimè medicum ægræ nost
hasce, ceu quibus maximè indigebat, præscripsisse perspicimus. R
ficiunt tùm serum & sanguinem restaurando, tùm particulis s
spirituosis spiritus resarciendo; alterant & corrigunt demulcend
temperando, absorbendo, infringendo, imbibendo & inviscand
Herbæ erant: *Acetosa*, *Spinachia* & *Violaria*, quæ itidem profu
runt ægræ particulis suis aqueis, acidis, diluendo, temperando, mi
gando, immutando & educendo; simul mitem succulentam h
miditatem, acria, salsa, sulphurea obtundentem restinguent
suppeditando. Quò & *rad. Cichorii*, ut dictum, faciunt. *Jus*
la alterata Quibusdam malè audiunt, qui nauseam creare, viri
effœta & Galenica esse prætendunt. *Verùm* debitè parata nause
non creant, aut in nimis delicatulis ista additis aliis præcaveri p
test; Vires, quas non nimis diu cocta possident, sunt haud pauc
haud vulgares, quas sub alimenti specie corpori, quod multum in
agere opus non habet, communicant: Nec ista commendan
aut vituperamus, quia *Galenica* sunt, sed quia proficua esse
mus.

XVII.

Ultimum quidem Dissertationis nostræ locum obtinet *Di*
sed cui non immeritò primus deferendus esset, quid enim stricte
legitimè observata diæta, quid contra neglecta hæc valeat, qui
boni vel mali afferat, quotidie totoque die experiuntur Practici. N
ad *conservandam* solùm sanitatem, sed & potiss. ad *restituen*
ipsam requiritur, hinc ipsis causis morbificis opponenda. Potissim
igitur, ut *omitterentur* nimis *salita*, *acria*, *aromatisata*, *visci*
dyspepta &c. *vinum*, Medicus suasit, prævidens hæc accusatas
ctenus causas fovere, augere, intendere, movere. *Potum Ord*
rium præscripsit in genere ad ægræ palatum, quod in curatione n

im facit tanquam quotidianum imò quibusvis horis ſumendum, ut
inc nauſeam quocunque modo præcavere opus ſit. In ſpecie ex
ordeo ſuccum mucilaginoſum laudabilem ſuppeditante, *C.C.* ab-
rbente, immutante, & *rad. Cichorii* antea deſcriptis, addito mo-
co *aromatici* medicamenti pro ſuſcitatione & conſolatione calidi
ſpirituoſi in ventriculo.

XVIII.

Coronidis loco liceat *Cautelam* ſubjungere in quotidiana Praxi ne-
ſſariam: Nè Medicus in formando conſilio ſequatur ea, quæ Æger
determinanda cauſa morbi, aut urgente ſymptomate ipſi propo-
t, ſed priùs probè examinatis & perpenſis ſingulis prægreſſis ac
ncurrentibus de Cauſa morbifica primariò tunc Indicante ſuique
ationem aut correctionem poſcente judicet, & tùm demum ad
ræ Leges Methodi conſilium formet. Sæpius contingit, ut morbo
aboraſſe antehac tali vel tali referat Æger, cujus Adjuncta ſi exami-
verit prudens Medicus, alium longè fuiſſe deprehendet, ut præ-
ti morbo nomen imponat, aut cauſam aſſignet, quæ à vera & le-
ima penitùs aliena; Quoties accuſant ægri dolorem hepatis, aut
nis, qui non has partes ſed abdominis muſculos, peritonæum,
triculum aut inteſtina afficit? plura talia quotidie prudens ex-
itur Medicus. Habebat hæc Ægra emanſionem menſium pro
ſa febris continuæ, ſed erat illa hujus tunc graſſantis effectus.
ò optandum eſſet, ut ſaltem ægri aliquando Medicis hoc mo-
imponere conarentur, fit id nonnunquam ab ipſis Medicis,
n, qui primò in auxilium vocatus, alteri Medico, cujus ſuc-
ente tempore etiam petitur conſilium, aut præconceptâ opi-
ne tinctus, aut philavtiâ ductus, aut, ut errorem tegat, per-
x modò Hiſtoriam morbi exponit pro ſua ſtabilienda ſenten-
, etiamſi non ſemper, prout revera ſe habet, modò abſque ac-
ata Hiſtoriæ recenſione brevibus Ideam & nomen morbi ſibi
atam ponit. Sed, veluti prudentiæ Practicæ pars eſt, ſive ta-
ſiant oretenus, ſive ſcriptis, aut ab ægris, aut à Medicis,
nſita judicio docto examinare, ſagaci ſcrutinio, ut hîc factum
ſtremo Medico, in unum & alterum, pluraque ſcitu pro ſe-
dignotione & curatione affectus neceſſaria inquirere, & debi-
Curationis formare methodum: Ita & non ſolùm ſibi ſed & ſæpè

potissimùm Ægris bene consulit Medicus, quando non ad pet tum aut placitum ægri mox, non aut perfunctoriè affectu pens tato, præscribit Menagogum, Vomitorium, Purgans &c. ne enim ægri est determinare Indicatum & materiam medicam, se Prudentis Medici. Desiderabat hæc ægra mensium promotione per medicamenta vehementia persuasa suppressionem illorum ca sam & primæ febris & præsentium molestiarum esse; cum t men, posito etiam, quod tamen non erat, febrim illam cont nuam debuisse originem hujus fluxus defectui, illo tamen Ægra dum consulebat, statu non præscribi debuissent illa desiderata m dicamenta, eventu id præter rationes comprobante. *Summi eni Archiatri Gratiâ* accidit, ut post usum dictorum & examinatoru medicamentorum omnia illa molesta evanescerent, succederet ve fluxus desideratus, *Cujus Immensa in me Bonitati Gratias ago humilimas ulteriorem porrò Ejus Misericordiam devotissimè implorans.*

F I N I S.

